MONSTRI DUPLICIS RARISSIMI
DESCRIPTIO ANATOMICA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE OBTINENDIS
DIE XII. M. JANUARII MDCCCXXIV.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
ADOLPHUS ROSENSTIEL
BEROLINENSIS.

OPPONENTIBUS
SCHOLZ, MED. ET CHIR. DR.
HESSE, MED. ET CHIR. DR.
KELSCH, MED. ET CHIR. DD.

CUM TABULIS AENEIS TRIBUS.

BEROLINI,
FORMIS DOENCHIANIS.

QUIS LEGET HAEC? . . . . . ., NEMO HERCULE!

PERSIUS, SAT. I. V. 2.

AMICIS SUAVISSIMIS ET INDULGENTIBUS

HAS LITERARUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

Praefatio.

Erat mihi studium in utramque medicinam per quinquennium collatum nec non coram gratioso medicorum ordine tentamen simulque examen rigorosum rite peractum, cum, ut legibus academicis sanctisque majorum institutis satisfacerem, de dissertatione inaugurali conscribenda cogitarem. Diu autem, cum huic proposito incumberem, anxius haesi, quodnam scripto isti argumentum potissimum eligerem. Quid enim, quaeso, in medicinae arte, tam diffusa, tyro facile invenire aut proferre possit, quod a doctorum omnisque experientiae copia ornatorum virorum notitia, imo approbatione, haud plane absit. Suadente tamen Illustr. Rudolphi, praeceptore maxime colendo, cui summam gratiam ob insignem in me collatam benevolentiam habeo, nec non usque ad cineres habebo, monstri singulari forma notati, quod in

museo anatomico universitatis Berolinensis servatur, disquisitionem ac descriptionem suscepi.

Magnam enim ex monstrorum descriptionibus non solum anatomiae pathologicae, sed toti etiam physiologicae redundare utilitatem, quis negabit? atque ita non inutile aliquid me suscepisse credo.

Non autem possum, quin fatear, me in hoc problemate explanando quam maxime obstrictum esse Dr. Schlemm, experientissimo universitatis Berolinensis prosectori, qui in dissecando monstro maximum mihi attulit auxilium.

Monstrum, ad cujus disquisitionem ac descriptionem hac in dissertatione adcingor, quoad formam externam hisce jam verbis descriptum est *): Monstrum bicorporeum, sexus virilis, octo circiter mensium. Collo insidet caput, at singularis conformationis. Caput nempe refert figuram globiformem, ubique pilis brunnis ornatam. Facies est nulla, immo neque vestigia frontis, oculorum, nasi nec oris existunt. Oblique antrorsum in hoc sic dicto capite, ad latus collum versus, duae aures singularis figurae pendent; quaelibet auris nempe ex duabus portionibus est conflata, per sulcum intermedium cohaerentibus, quaelibet portio constat ex helice, antihelice, trago, antitrago, lobulo auris, cavitate scaphoidea innominata atque concha, et fine coeco terminatur; hinc nullus existit meatus auditorius. E pectore surgit secundus embryo sexus virilis absque capite et collo. Caput et collum in pectore latere videntur. Anus est nullus. E lateribus supremae partis dorsi duae extremitates superiores absque scapulis pendent, breves et contortae, in manu dextra duo, in sinistra tres nominantur digiti. Pars inferior dorsi, lumbi et extremitates inferiores quidem bene

*) I. G. Walteri Museum Anatomicum. Berol. 1805. P. I. p. 126. N. 3027.

conformatae, at in pede sinistro secundus et tertius digitus sunt concreti atque ante abdomen prioris embryonis deorsum pendent.

Annotari adhuc meretur, matrem praeter hoc monsrum bicorporeum virile, adhuc paucas horas ante partum ejusdem, foetum femininum bene conformatum peperisse.

Hac in descriptione formae externae alia falsa, alia transmissa mihi videntur, quae emendatione scituque non indigna corrigam adjiciamque. Primum in descriptione modo exhibita narratur, oculorum vestigia non existere; accuratius autem inspicienti duo foramina parva occurrunt inter aures utriusque lateris, quae certe nihil sunt nisi orbitarum vestigia quod multo etiam minus in dubium vocari potest, si cranii baseos descriptio comparatur. Aures fine coeco non terminantur, sed quaelibet auris meatum habet auditorium, ita, ut quatuor adsint meatus auditorii, quorum bini cujusque lateris in aure interna conveniunt. Scapulae parasiti non desunt, ut dissectio me docuit, sed eodem modo, ac brachia, sunt contortae. Sexus parasiti pene, parvo quidem, ceterum vero normali, manifestatur, scrotum est nullum.

Funiculus umbilicalis, cujus pars adhuc adest, simplex atque individuo truncali insertus fuisse videtur.

Nunc vero, descriptione quoad formam externam absoluta, ad descriptionem illarum partium, quae integumentis communibus remotis in conspectum veniunt, transire mihi liceat. Hic primum videmus calvariam globiformem, duobus cum fonticulis; meatus auditorii externi quoque in latere sunt duo; os frontis adhuc divisum partes orbitales ac partem nasalem distinguere non permittit, sed planum est os, quod, ut de more, junctum est cum ossibus parietalibus, praeterea autem cum osse sphenoideo atque cum ossibus temporum, ut infra

videbimus; alias vero junctiones non init neque inire potest, cum os ethmoideum omniaque faciei ossa desint. In parte inferiori terminatur corpore cartilaginoso triangulari, supra quod illa duo foramina parva sita sunt. Ossa parietalia normalia omnino juncturas ubique normales ineunt; aeque os occipitis se habet. Ossa temporum normalia etiam sunt, exceptis processibus zygomaticis, qui plane deficiunt; normalibus quoque junctionibus tenentur; praeterea autem partes petrosae ita sunt oppositae, ut jungantur cum parte inferiori ossis frontis. Os sphenoideum melius describetur calvaria dissecta: quod factum est suturis incisis; tunc quidem invenimus encephalum, quod vero, cum jam confluxerit, nullam permittit disquisitionem; quamvis membranae adhuc adsint, sicut durae matris processus, ita ut clare pateat, unum solum adfuisse encephalum. Ossibus parietalibus ad latera, osse occipitis retrorsum atque osse frontis antrorsum positis, alas minores ossis sphenoidei concretas vidimus, quae unum modo os constituentes conspectum partis ossis frontis et corporis alarumque majorum ossis sphenoidei adimunt atque mobiles sunt. Hoc mobili osse ablato invenimus orbitas, quae construuntur osse frontis, alis majoribus ossis sphenoidei hocque mobili osse, quod ex alis minoribus ossis sphenoidei constitui jam dixi. Has cavitates autem orbitas esse apparet situ, ossium juncturis atque eo, quod cum foraminibus illis parvis in osse frontis, supra commemoratis, continuantur. Implentur partim adipe partim substantia musculari, in easque intrant duo nervi in latere, quorum alter inter alas majores et minores ossis sphenoidei cavitates assequitur, quem propterea oculomotorium habeo, alter autem e sinu cavernoso veniens orbitis inter corpus et alas minores ossis sphenoidei immittitur, quem abducentem existimo. Opticus au-

tem et nervus trochlearis desunt, sicut etiam in orbitis ne vestigium quidem bulbi invenitur. Ubi tentorium cerebelli ad partes petrosas ossium temporum adnatum est, nervos vidimus, quos trigeminos putamus; denique autem duo nervi intrant meatum auditorium internum, qui alii non sunt, nisi acusticus ac communicans faciei. Persequi nervos non licuit ob eorum mollitiem. Olfactorius plane deest, sicut etiam aliarum partium olfactus organon constituentium ne vestigia quidem adsunt.

Haec àutem ad capitis formam illustrandam usque huc ame dicta sufficiant; abnormitatum tamen omnis breviter recensio repetatur: desunt scilicet faciei partes omnes et organon olfactus, organon visus et auditus modo imperfecta adsunt, ut de posteriori denuo infra videbimus.

Colli omnis conditio erat haec: Integumentis communibus remotis, maximum musculorum confluxum vidimus, qui primo in conspectu nullam paene accuratiorem distinctionem permittere videbantur; continuata autem disquisitio hunc nodum plane solvit: illa enim nos docuit, sternum ita esse divisum, ut quovis in latere pars una esset, cui duae claviculae erant adnatae, altera plane normalis, quae pertinet ad individuum truncale, altera autem contorta, quae pertinet ad parasitum atque cum ejusdem altera clavicula ita est congenita, ut unum os constituant, quod parte media quintae colli vertebrae parasiti est adnatum, quae quoque vertebra finem superiorem parasiti exhibet. Costae desunt parasito; normales vero sunt individuo truncali; postea etiam duas invenimus larynges duoque ossa hyoidea, ita ut musculos facilius indicare possemus. Adsunt nempe quatuor sternocleidomastoidei, quorum duo laterales originem ducunt a partibus sternalibus clavicularum individui truncalis atque a manubriis sterni

divisi ac finiuntur processibus mastoideis ossium temporum, duo medii autem oriuntur a partibus sternalibus clavicularum concretarum parasiti ac finiuntur sub cartilagine styliformi supra commemorata. Sicut vero musculi sternocleidomastoidei duplices sunt, ita etiam omnes musculi ossium hyoideorum laryngumque duplices inveniuntur.

Musculis remotis tracheam oesophagumque simplices ac normales invenimus, laryngem autem primo adspectu quam maxime abnormem. Disquisitio accuratior autem explicabilem quoque hanc abnormitatem reddidit. Cartilago nempe cricoidea aeque simplex, ac trachea, est, supra quam invenitur cartilago thyreoidea normalis, cujus tamen in parte media superiore congenita est alia cartilago thyreoidea, quae sola cornua majora habet; cornua minora enim et corpus cum priori cartilagine thyreoidea confluunt.

Quovis in latere harum cartilaginum thyreoidearum invenitur os hyoideum, ceterum bene formatum, exceptis cornibus minoribus, quae majora ac de more sunt: Ossa hyoidea cornibus majoribus suis junguntur cum cornibus majoribus cartilaginum thyreoidearum, ita nempe, ut cornu majus dextrum dextri ossis hyoidei junctum sit cum cornu majori dextro cartilaginis thyreoideae inferioris, ejusdem autem ossis cornu majus sinistrum cum cornu majori dextro cartilaginis thyreoideae superioris, cornu deinde majus dextrum sinistri ossis hyoidei jungatur cum cornu majori cartilaginis thyreoideae superioris, cornu majus denique sinistrum ossis hyoidei sinistri cum cornu majori sinistro cartilaginis thyreoideae inferioris.

Pariete posteriore oesophagi inciso et pharyngis orisque cavitate ita apparente, duas, juxta se jacentes invenimus linguas, quarum altera cum osse hyoideo dextro, altera cum sinistro est juncta; epiglot-

tides etiam duas unam modo cavitatem tegentes, in qua cartilagines arytenoideae duae normales locum suum tenent. Pharyngis ac oris cavum infra caput cum meatibus auditoriis convenit, uti etiam hoc in cavo auditus ossiculorum rudimenta, quae maximam habent similitudinem cum malleo et incude, vidimus.

Pectoris cavum parasito deest; in individui truncalis cavo pectoris duo normales pulmones inveniuntur, pars autem dextri pulmonis infra diaphragma jacet. Quoque in pectoris latere cor, pericardio suo circumdatum, locum tenet, quorum dextrum vero unum solum ventriculum habet. Quatuor adsunt auriculae, quarum duae ad cor sinistrum, duae ad dextrum pertinent. Atria omnia in medio pectoris cavo inter utrumque cor saccum formant, qui, divisionibus normalibus plane deficientibus, uno modo spatio distinetur.

Abdominis cavum disquirere non licuit, cum viscera jam essent remota, ita ut destinari nequeat, utrum duo forsan hepata affuerint, an unum; sed pars funiculi umbilicalis conservata nullam abnormitatem exseruit, quare unum hepar supponere mallem, quamquam duae venae cavae inferiores diaphragma transeunt, quae eodem modo, ac superiores, conveniunt in sacco, quem ex atriis construi jam vidimus. Quo cum sacco juncti tres illi ventriculi utriusque cordis sunt, ex his autem arteriae sequenti modo originem ducunt. E ventriculo anteriore cordis sinistri venit arteria pulmonalis, quae vero statim transit in arteriam aortam, e ventriculo posteriore cordis sinistri venientem; haec mittit subclaviam sinistram, carotidem sinistram, truncum anonymum atque descendit, ut de more. Truncus autem anonymus inter oesophagum et vertebrarum columnam ad dextrum latus venit; mittit carotidem dextram, tum vero confluit cum arteria pulmonali, quae e

ventriculo unico cordis dextri oritur. Hac ex unione denique distribuuntur arteria subclavia dextra, arteria parasitum nutriens atque pulmonalis, quae ante tracheam dividitur in dextram et sinistram.

Sanguinis mixtio ergo fuisset maxima neque vitam huic monstro permisisset, etiamsi ore praeditum vitam vivere potuisset.

Systema uropoëticum et genitale individui truncalis nullam exhibent abnormitatem.

In parasiti abdominis cavo unus modo, sed magnus, etiam ren obervandus est unusque ureter, praeterea vesica urinalis normalis; atque duo quam minimi testes, qui prope renem locum suum tenent. Haec monstri descriptio.

Cum vero nunc, quae ad monstri, cujus figuram hac in tabula effingendam curavi, descriptionem inprimis facere videbantur, dixerim cumque ex tractatione mea, brevissima quidem, tamen totius rei quasi summa capita comprehendente elucere possit, quam multa consideratu exploratuque dignissima illud in se habent: cetera omnia doctioribus majorique experientiae penu ditatis viris accuratius persequenda relinquam, idque unum in fine opellae meae adjiciam, fuisse quidem omni tempore rerum ad medicinam pertinentium scientia excellentes viros, qui scriptis suis tales a naturae legibus aberrantes partus diligenter illustrarent: tamen inter omnia illa monstra antea descripta ne unum quidem esse, quod huic nostro plane conveniat forma, id quod meo jure affirmare posse videor, cum Illustr. Rudolphi maximum et librorum et dissertationum hac in re versantium inspicere numerum summa, qua excellit, humanitate, mihi concesserit, in quibus similia multa, aequalia nulla, reperi. Quod ad eum, cui plura videre libuerit: haec non inutiliter inspiciet.

Conradi Lycosthenis Prodigiorum ac ostentorum chronicon. Basileae. 1557. *Pag.* 519. 524. 531. 659.

Joh. Georg. Schenkii Monstrorum historia memorabilis. Frankofurti. 1609. *Pag.* 59. *seq.*

Thom. Bartholini Histor. anatomic. rarior. Cent. Amstel. 1654. *Cent. I. Hist. LXVI. Pag.* 105.

Michael Heiland. Monstri Hassiaci disquisitio medica. Gissae Hassorum. 1660.

Fortunius Licetus. De monstris. Ex rec. Gerardi Blasii. Amstelodami. 1665. *Pag.* 9. 83. 273 309.

Jean Palfyn. Traité des monstres. Leide. 1708. *Pag.* 9. 297. 333.

Ludov. Michael Dieterichs. De *fratribus italis ad epigastrin connatis. Ratisponae.* 1749.

Gottfried Heinrich Burgharts Sendschreiben an einen guten Freund, betreffend einen zweileibigen, sonderbar gestalteten Mann: Sig. Antonio Martinelli aus Cremona etc. Frankfurt a. d. O. 1752.

Josephi Thaddaei Klinkosch. Programma, quo anatomicam monstri bicorporei monocephali descriptionem proponit. Vetero-Pragae. 1767.

Soemmerring. Abbildungen und Beschreibungen einiger Mifsgeburten. Mainz. 1791. *Zusätze.*

Reichel in Philosophical Transactions. 1789. *Pag.* 157.

Meckel. De duplicitate monstrosa. Halae et Berolini 1815.

Burdach. Sechster Bericht von der Königlichen anatomischen Anstalt zu Königsberg mit einer Uebersicht von parasitischen und gedoppelten Menschenkörpern. Leipzig. 1823.

Exempla autem infantis bene conformati cum monstro simul in partu editi invenimus:

Licetus l. c. pag. 341.

Mémoires de Paris. Hist. 1748. *Pag.* 85.

Meckel. l. c. Pag. 6. *§.* 14.

Explicatio Tabularum.

Tab. I. Fig. 1. Monstri superficies anterior.

a. a., Orbitarum vestigia.
b. b. b. b. Aures externae.
c., Parasiti extremitas superior.
d. d., Parasiti manus.
e. e., Monstri uterque penis.
f., Funiculus umbilicalis.

Fig. 2. Monstri superficies posterior.

a., a., Parasiti genua.

Tab. II. Fig. 1.

a. a., Ossa parietalia.
b., Os frontis.
c., Fonticulus anterior s. major.
d. d., Orbitarum vestigia.
e., Cartilago styliformis.
f., f., Aperturae externae aurium.
g., Parasiti spinae dorsi extremitas superior.
h., Ejusdem scapula dextra.
i., Ejusdem brachium dextrum.
k., Pars dextra utriusque claviculae concretae parasiti.
l., Clavicula sinistra individui truncalis.
α., Musculus pectoralis major.
β., Pars clavicularis musculi deltoidei.
γγ., Musculi sternocleidomastoidei laterales s. ad foetum majorem pertinentes.
δδ., Musculi sternocleidomastoidei medii s. ad parasitum pertinentes.
ζζζ., Musculi laryngum ossiumque hyoideorum aeque duplices ac priores.

Fig. 2. Cavitas cranii.

a. a., Ossa parietalia ad latus posita.
b., Os occipitis.
c., Pars petrosa ossis temporum dextri.
d. d., Partes squamosae ossium temporum.
e., Clivus ossis sphenoidei.
f., Ala major dextra ossis sphenoidei.
g., Alae minores concretae ossis sphenoidei.
h. h., Os frontis adhuc divisum.
α., Nervus oculomotorius.
β., Nervus abducens.
γ., Nervus trigeminus.
δ., Nervus durus et mollis.
ζ., Membranae cerebri.

Fig. 3. Paries posterior oesophagi et pharyngis incisa.

a., Oesophagus.
b. b., Pharynx.
c. c., Cartilagines arytaenoideae.
d. d., Epiglottides.
e. e., Linguae.

F. 4. A. A. Cavitas infra caput ubi pharynx et meatus auditorii externi terminantur.

B. B. Pars anterior inferior capitis.
a. a., Ossiculorum auditus rudimenta.
c. Foramen coecum.
b., Cartilago styliformis.
d. d., Orbitarum vestigia.
f. f., Aperturae aurium externae.

Tab. III. Fig. 1.

a. a., Orbitarum vestigia.
b., Cartilago styliformis.
c., Oesophagus.
d., Trachea.
e., Cartilago cricoidea.
f., — thyreoidea inferior.
g., — — superior.
h. h., Ossa hyoidea.

i., Pulmo sinister.
k., Pars pulmonis dextri in abdominis cavo sita.
l. l, l., Diaphragma.
m. m. m. m., Auriculae cordium.
n., Cor sinistrum.
o., Atria unam solam cavitatem formantia.
p., Cor dextrum.
q. q., Venae cavae inferiores.
r., Arteria aorta adscendens.
s., — subclavia sinistra.
t., — carotis sinistra.
u., Truncus anonymus.
v., Arteria carotis dextra.
w., — subclavia —
x., Unio trunci anonymi cum arteria pulmonali cordis dextri.
z., Arteria parasitum nutriens.
y., — pulmonalis cordis dextri.
α., — — dextra. } Rami prioris.
β., — — sinistra. }
γ., Art. — cordis sinistri, quae transit in aortam
δ., Vena jugularis dextra.

Fig. 2

a., Oesophagus.
b., Trachea.
c., Cartilago cricoidea.
d., — thyreoidea inferior.
e., Ejusdem cornu majus dextrum.
f., Cartilago thyreoidea superior.
g. g., Ejusdem cornua majora.
h., Basis ossis hyoidei dextri.
i. i., Ejusdem cornua majora.
k. k., — — minora.

Curriculum Vitae.

Ego Adolphus Rosenstiel, Berolini natus sum anno millesimo octingentesimo die decimo octavo mensis Julii. Patre optimo Augustissimi Borussorum regis a consiliis intimis, et matre carissima e gente Decker, gaudeo atque longum per tempus me gavisurum esse spero. Primis literarum rudimentis absolutis, in Gymnasio Fridericiano, Beato Bernhardi rectore, ad literarum humaniorum studium adductus sum, postremo autem Gymnasium Berolinense adii, cujus civibus Celeberrimus Bellermann me adscripsit. Anno millesimo octingentesimo duodevigesimo maturitatis testimonio instructus a Gymnasio in Academiam, quae Vratislaviae floret, transii, ibique die XXX. mensis Septembris ab Illustr. Madihn, t. t. Rectore Magnifico, civibus academicis atque ab Illustr. Remer, t. t. gratiosi medicorum ordinis Decano, huic ordini inscriptione additus sum. Illa in academia hisce Celeberrimorum virorum lectionibus interfui: Cel. Thilo de logice et dialectice; Cel. Steffens de physica et anthropologia; Cel. Fischer de chemia; Cel. Rosenthal et Cel. Otto de osteologia et syndesmologia; Cel. Treviranui de botanice et de herbis, quibus utimur in medicina; Cel. Gravenhorst de historia naturali. Anno praeterlapso, quo etiam stipendia, Regis nostri Clementissimi jussu praescripta, in legione vigesima secunda peditum feceram, Berolinum petii, qua in alma literarum sede ab Illustr. Weiſs, t. t. Rectore Magnifico, in numerum civium academicorum receptus atque ab Illustr. Rudolphi, t. t. Decano, facultati medicae adscriptus sum. Quo ex tempore

hasce audivi praelectiones: Ill. Knape de syndesmologia et splanchnologia; Illustr. Rudolphi de anatomia tam humana quam comparata, de encyclopaedia et methodologia medica, de entozois, de sensuum organorum anatomia, de anatomia pathologica, deque physiologia; qui viri Illustr. etiam cadavera rite secandi methodum in theatro anatomico me docuerunt; Illustr. Link de botanice, de toxicologia et de pharmacologia disserentem audivi; Cel. Turte de pharmacia; Illustr. Weiſs de mineralogia; Illustr. Koreff de physiologia; Cel. Hegel de logice; Cel. Wagner de materia medica atque de ophthalmologia; Cel. Boehr de pathologia generali; Cel. Richter de therapia generali; Illustr. Horn de pathologia ac therapia speciali, de morbis syphiliticis deque militum morbis; Cel. Schubarth de arte formulas medicas rite concinnandi; Cel. Fr. Hufeland de semiotice; Cel. Juengken de acologia, de luxationibus atque de ossium fracturis; Illustr. Graefe de morbis ossium dynamicis; Illustr. Rust de chirurgia et de akiurgia; Illustr. de Siebold de arte obstetricia tam theoretica quam practica, atque de exercitationibus obstetriciis ope phantomatis manu faciendis. Sub finem studiorum meorum, ut in praxi medica exercerer, instituta clinica frequentavi, quae florent ductu et praesidio Illustr. Hufeland, Illustr. Berends, Illustr. Graefe, Illustr. de Siebold, Illustr. Rust, Cel. Neumann.

Theses defendendae.

I.

Chirurgus medici minister.

II.

Internus Arsenici usus est admittendus.

III.

In casu ambiguo matris vitae major cura quam infantis est habenda.

IV.


Chininum sulphuricum corticem Peruvianum supervacuum non reddit.

V.

Gonorrhoeae et ulceris venerei non idem contagium.



a a
b b b b
c
d d
e e e
f



a a

Fig:1.




Fig:2.




Fig: 4.




Fig: 3.




Fig. 2.




k
g
g
i
k
i
f
d
c
h
c
b
a

Fig. 1.


a
a
b
h
h
g
δ
m
c
f
v
e
t
z
d
x
u
r
γ
i
p
o
n
y
s
k
l
l
l
β
m
m
q
α
m
q
m